

Lugubria Carmina,
in verè acerbo, pio tamen & Christiano Funere,
Nobilis: Pientissima, Pudicissimaque
Matrone

MAGDALENÆ Brücknerin
Natalibus Szefflerin /

Viri
Nobilis, Excellentis. Amplis. que
DN. TOBIÆ BRÜCKNERI
Ph. & Med. D.

Illustris, Ducisæ Berolstadiens. Medici,
& in patriâ Vratisl. Repub. Practici
celebratissimi,

Uxoris multò suavisima, dilectissimaq̃:

que
laborioso partu Filiolam
sic satis feliciter enixa,

&
A. Chr. clō Ioc XLIX.

A. D. III. Nonas Octobr.
qui ab illa partitudine dies ipse erat undecimus,
piâ placidâq̃ morte,
rebus humanis exempta,

A. D. VI. Idus
Christiano honoratissimoq̃ ritu
terre mandabatur:

cùm Memorix Virtutum Beatæ conservandæ,
tùm mœstissimo Viduo consolando,
utriusq̃ meritissimo,
scripta.



*U*ae Tibi debebam vivens solatia vivo
Certè, Marite, præstiti;
Nunc & Filiolam moriens Tibi linquo te-
Pignus tori lectissimum. (nellam,
Sic Tibi fida fui, vivens, moriensq;, Marite,
Dum, quam relinquo, contuli
Filiolæ vitam, CHRISTO Mibi dante perennem
Pro temporali GLORIAM!

Ex sententiâ piæ Defunctæ sic con-
solabatur Viduum moestissi-
mum, Amicum Veterem,
sincerè condolens

CHRISTOPHORUS Grenwald
Lib. Baronat. Milicenf.
Cancellarius.


*V*erum, & quod verum Pontane fateberis, Uxor.
Gaudia bis peperit bis pariendo tibi.
Verum etiam, & verum Pontane fateberis, Uxor.
Bis peperit lacrimas bis pariendo tibi.
Gaudia prima dabat primus tibi filius; at heu
Gaudia quàm celeri mox ruitura pede.
Gaudia deïn peperit tibi nata secunda, secunda,
Non matri, tibi non nata secunda patri.

Infelix

Infelix nimium nimiumq; puerpera, in ipso
Portu insperato turbine merfa perit.
Hinc illæ lacrumæ, gemitus, suspiria, planctus
Et quicquid tristis pectoris angor agit.
Ah quis non doleat tam diræ vulnera mortis!
Sed solatiolum poscis, amice, meum.
Accipe. Quid Medici nostris præscribimus ægris!
Dulcibus in paucis quantus amaror inest!
Horrescit stomachus, turbatur ventris abysus.
Causam scit Medicus, sentiet æger opem.
Sic DEUS interdum permiscet tristia lætis.
Causam scit, nostrum est posse filere, pati.
Roborat is rursus, sistitq; hæc tormina mentis
Sic tandem placidi mens patet æqua patris
Roboret is te etiam, sanet tua vulnera mentis,
Teq; tuæ natæ servet, eamq; tibi.
Ne dubita, faciet, jam miscet is utile dulci
Divinum procul en vix tibi FIAT, erit.

Condolentiæ g. scrib.

DANIEL WINCLERUS D.
Illustris Ducis Lign.
Medicus.



Coiq; Pergameiq; Principum decus,
PONTANE, nomen civibus charissimum.
Atq; exteris, qui, post DEI clementiam,
Suum Tibi valere credunt unicè;
Triennium est, nec amplius multo, tuo

Quod

Quod MAGDALIN junxisti toro SZEFLERIAM,
Ætate, genere, moribusq; commodis
Tibi sic probatam Conjugem, ut quantumlibet
Tuo beatum sat statu, quam plurimis
Felicior em fecerit te partibus.

Mulier profecto digna, cui mors parceret
Aut semper, aut certe diu. Sed neutiquam
Pepercit. Abstulit Marito Conjugem,
Natæ Genitricem, Sororem Fratribus.

PONTANE, sed quid feceris? Forsan dicam
Morti severa scripseris? Nil egeris.
Sit hæc; tamen tibi misitanda injuria.
Mors verbulo; Sum, dicet, inadulabilis.

II.

Ex Anagrammate,

MAGDALENA PONTANA,
NON PLANGE, AT ADAMA;
Beatè defuncta Maritum superstitem solatur.

Quid nimium desles obitæ mea fata, Marite
Et gratis oculis, & vitâ charior ipsa?
JOVAM respicias, cujus secreta voluntas
Rumpit morte, tori socialia vincula nostri.
ME quoq; respicias, quæ lethum tendo per ipsum.
Ad fortunatos vitæ coelestis honores.
TE quoq; respicias, quem, quamvis mæsta videntur,

A 3

Ipsa

Ipsa jubet pietas decreta probare JEHOVÆ.
PROLEM respicias, quam nunc Genitricis amore
Omnino casam, tua Patris cura fovebit.
Idcirco pectus NON PLANGE, AT mente serenâ
Fovam, Me, Te, Prolem ADAMA: Sic omnis abibit
Tristitia, & cordi solatia firma dabuntur.

*Tantillum solatii,
justissimo luctui
Nobilis Excellentissimiq; Dni Vidui,
Fautoris Amicig; singularis,
afferre in presenti poteram.*

M. ELIAS MAJOR, P. C. L.
Gymnasii Elisabethani Vratisl.
Rector & Profesor, cætera-
rumq; ibidem scholarum In-
spector.

Mista Bonis Mala sunt & fructum luctus acerbat:
Dat Sobolem thalamo Fœmina, se tumulo;
Magdalis infœlix. Næ mœsta Puerpera prolem
Cum parit & parat, se parat, ipsa perit.
Stas, VIR, & illacrumas, sterilem qui dispicis artem,
Quæ prius innumeris pharmaca grata dedit.
Autumni solus primo frigescis ab algu,
Et quæ sunt viduo tædia pluratoro.
Pluratoro veniant fastidia: cuncta fathiscunt,
Si DOMINUS Viduo, quem jubet esse, favet.

Adspi-

*Adspiret patrium modò dia Pronœa favorem,
Tu, quod onus multos suppressit, arte feres.*

*Secundum Viduo he! parum
secundo Viduus secundum
faciebat*

M. HENRICUS GLOSIUS
Magdalenæ Rector.


Æ Sclâpi Conjux PONTANI, in vere juventa,
SZEFLERIQUE novi Pœonis illa Soror,
Heu nimium præcepta jacet tam funere acerbo,
Et Fratri, atq; Viro causa doloris adest!
Non vigor ingenii, nec mens cum corpore pulcro,
Injecere tibi, Parca maligna, manum.
Non medicina Viri, Fratris nec cura salubris,
Mortiferum scivit pellere sede genus.
Pœonius etenim mors atra valentior herbis,
Atq; Machaoniâ plus valet arte malum.
Sint licet Archiatri servatis pluribus ambo,
Sint sapientipotens mensq; manusq; Deum:
Heic tamen obriguit mens, heic manus ægra fatiscit;
Fœmina Phœbejâ non ope salva fuit.
Discite jam Medici, quòd sit medicamen inane,
Servator curam ni Deus ipse juvet,
Sed vice, Biga Virum, vobis solaminis esto;
Quòd non interiit funere tota cito.
Nam decus amissa defuncta puerpera vitæ
Tradidit infanti, mater amica, suo.

Conjugis

Conjugis effigiem charæ, dulcisq; Sororis,
Deliciumq; animi spectet uterq; sui.
Ac quod sanorum superas concessit in oras,
Nulla ubi vena mali, nec medicina mali.
Vivit apud Christum membrisq; animaq; Medentem,
Perpetuatq; poli MAGDALIS arce dies.

Et Memoriae piè Defunctæ,
Et Solatio Duùm viris Medicis Affinibus,
desultorio quidem calamo,
sed animo collugenti
Pof.

CHRISTOPH. COLERUS.



Ἐπιὼδοὶ Ἐπιχῆδοι

Bullit Amarities medio de Fonte Leporum,
Aloëq; mista Nectari:
Et sub Flore novo, quod in ipsis Floribus angat,
Propullulat Mortalibus.
Ediderat Partu fausto BRUCKNERIA CONJUX,
Patrio satu SZEFLERIA,
Filiolum lepidum, dulcemq; utriq; Parentum,
Et Spe virente floridum.
Sed vix ediderat, quando Lepor omnis Amara
Et læta mutant Tristibus.
Exactoq; brevi marcescit Flosculus Ævo,
Et falce Mortis concidit.
Salva tamen Genitrix reparat lacrumabile damnum,
Et Amara mutat Dulcibus.

Filiolam

Filiolam pariens: cujus micat Ore venustas.
Matrisq; virtus Lumine.
Vix bis quina novos Aurora ostenderat Ortus,
Ut ipsa Mater concidens,
Lugubres renovat Lesus, & Acore remiscet
Remeans Mariti Gaudium.
Dirus Acor! quem non hilarans Nepenthes Homeri,
Non tollat Orchomeni Liquor,
Non Nectar Divum, non copia larga Rosarum,
Quas facta Pæstum protulit.
Perdere Filiolum triste est: sed tristius, inter
Partus dolores perdere,
Quæ plures pariat; quæ rursus Tristia mutet,
Partu peracto, Dulcibus.
Firmandus tamen est Animus. Qui Tempore lapsò,
Mutavit optatâ vice,
Quod longum doluit; non nesciet esse Dolori
Præstò, mederi Tristibus.
Surget Lætities medio de Fonte Dolorum,
Rursumq; Nectar suppetet,
Et verno viduum recreabit Germine Bellis,
Germen recens SZEFLERIE.
Ipsaq; functa, vices non sentiet amplius ulla,
Aloës vices, & Nectaris.
Perpetuum florens, vitæ recreabitur Aurâ,
Quæ sola durat perpetim,
Quæ Sanctis admista Choris, nil miscet Amari,
Merumq; Nectar porrigit.

B

Quorsum

Quorsum ergò Lacrumæ? Lacrumas hæc Vita requirit,
Non vita, durans perpetim.

Συμπυθείας τε, καὶ Παρρημυθείας
ἐκλή. scr.

M. VALENT, KLEINWECHTERUS.

Nequicquam molles Sapientem fundere lesus
Torvi vetant Panatii.
Non finxit nobis è Thyno pectora ferro
Titan, nec è Laconio
Marmore: sed teretem & mixtam fluvialibus undis
Sumsis se glebam scribitur,
Vnde cor humana formavit mobile genti,
Liquore quod suo scatet.
Hinc illa lacrima, crenâ quas pectoris altâ
Ictu dolores elice
Excutiunt, quoties funesta Proserpina nigras
Fubet cypresos figere.
Et quamvis rigeant plebi præcordia saxis,
Quæ Pyrrha jactavit vetus:
Flere tamen docti Phæbo didicere magistro,
Qui fonte sacro Pegasi
Illorum in mentes derivat jugis aqua vim,
Ut ritè manent lacrima.

His

His etiam, Pontane, tuâ jam Conjugis urnam
Mactat decenter, quam tuo
Avulsam gremio tacitis mors intulit umbris.
En Thymbra tecum turbidos
Liquitur in fletus, & lugubre succinit asma
Taxo sub atrâ Pieris.
Ac meritò plorant raptam florentibus annis
Ascræ coloni Magdalin,
Præ quâ nec tibi grata Charis, nec amabilis Hebe,
Morata nec satis Venus;
Sic illam probitas cumularat dote benignâ,
Quæ conjugem decet bonam,
Quâq; suo quondam placuit Cornelia Graccho,
Et fida Bruto Portia.
Nunc bona tot Summanus habet, quod sauciat agra
Plagâ recenti viscera.
Si tamen admittit crudum medicamina vulnus,
Neq; horret admotas manus;
Immittes sævo maturè frena dolori,
Nec persequeris amplius
Assiduo questu tumulata Conjugis umbram.
Non hæc recumbit sub scrobe.
Sed potiora sui jam parte refulget in astris,
Cælumq; permeat suum.

Quin

Quin & decedens pignus tibi dulce reliquit
Lecti tenellam filiam.
Nil desiderium melius lenire valebit,
Quam sua vis illa pupula.
Hac patris ante pedes ludet, ne gaudia quaeris
Subtracta matris censeas.

Ex animo condolens
profundebat

M. JOHAN. FECHNERUS.

Nuper, cum Chari moreretur Mater Amici,
Ne totum lachrymis se daret, autor eram.
Ergone, fata subit Tua dum peramabilis Uxor,
Ic totum ut lachrymis des, Tibi suasero?
Absit ut hoc faciam: novi bene namq; quod istos
Affectus animi tollere nemo queat.
Non ergo taxo conceptum pectore luctum,
Sed laudabo, pie si moderatus erit,
Debebam comptum defunctae Carmen honori,
Maxima vis animi sed tumultata mei.
SZEFFLERIAE exuviis gratam precor ergo quietem,
Donec mens rursum consocietur eis,

Plura

Plura loqui modò me, tum deficiente verba:
Tum lachrymae prohibent, nec dolor ipse finit.

Moestisf. Dn. Viduo,
debitam animi condolentiam
testificaturus lugens
appon.

GODEFRIDUS HELWIGIUS.

Omnibus exosa est gelida inclementia Mortis;
Dum Quemvis praeter respectum non inimicum
Aufert: Sed charum quod cuilibet est & amicum.
Aut tollit dulces, qui nos genuere Parentes;
Aut rapit Uxorem suavem fidamq; Marito;
Aut perdit Sobolem, quae gaudia mille Parenti
Exhibuit. Sic Mors nec Amicos curat acerba,
Nec Notos alios, propius vel Sanguine junctos.
Hinc gemitus, luctus, lacrimas haec concitat atrox,
Et praestat nobis praesentis tedia Vitae;
Dum nos privat iis, quorum praesentia grata
Est, fuit atq; prius, quae talis & usq; futura
Hinc merito tristes de Pectore, Patruae, amandae,
Nunc gemitus ducis, lacrimas & fundis amaras;
Conjuge dum Mortis Te vis spoliavit amicam:
Conjuge Multiplici Virtute Fideq; probata:
Et qualem fueras Tibi per tua Vota precatus.
Hanc vero amisam pacto ullo credere noli,

B 3

Præ-

*Pramisam potiùs Paradysi ad gaudia magna,
Te desiderio summo expectare Maritum,
In caelis lætam conuerso in gaudia luctu.
Cumq; Piosit Mors ad Olympum transitus omni;
Ergo in agone illi aduersum non contigit ullum,
Desine, Pontane, at lacrimas profundere tristes;
Et bene nunc illi, quoniam decet hocce, precare:
Namq; procul dubio, quæ possidet ipsa, precatur
Fausta Tibi, ast non est ad Te reditura vicissim,
In vitam hanc, sed Tu post certa migrabis ad illam
Caelituum Regis quando feret alma Voluntas.
Læta dies certo conjunget utrumq; vicissim.*

Trost-Rede

der selig-verstorbenen Frauen /
an ihren hinterlassenen
betrübten Herrn.

Ach Herrs-geliebter Schatz! was thut Ihr so sehr klagen/
und seuffzen Tag und Nacht/von wegen dieser plagen/
die teyend über Euch erget / sintemal
der Herr mich zu sich rufft aus diesem jammerthal/
in das gestirnte Land zu seinen Engel-schaaren /
di: täglich umb uns seyn/ und uns für leyd bewahren.
Ach! trauret nicht so sehr / weil Ich gereiset fort.
durchs wilde Todten-meer/ an den gewünschten port /
den weg der Seeligkeit. Erfüllet meinen willen/
verschützt die thranen-bach/ thut Euren kummer stillen /

und

und traget mit geduld solch Creuze/ wie ein Christ/
das Euch Gott auferlegt; sein Wille dieses ist /
daß Ich gewichen bin aus diesem argen Leben /
so mir beschwerden ist und kummer stets umgeben.
Den Zweg hab' Ich erreicht/ den Lauf hab' Ich vollend;
Ein selig ständlein hat Mir Gott zu gesend;
Darumb Ich oft und viel geseuffzet und gebeten /
im Glauben wolgerüst für seinen Thron getreten:
Durch dieses mittel Mir jetzt worden sind zu theil
die Himmels-güter gar/ darzu das ewig' heyl.
Welt lieber/ als die Welt mit ihrem Gold und Schätzen.
sind diese Güter Mir/ so ewig Mich ergeten.
O wie glükfelig bin Ich jetzt vor Euch geacht /
weil Ich mein Lebens zeit in Fried und Ruh volbracht.
Drumb laßt das trauren seyn/ befehlt es Gottes willen /
Er wird zu seiner zeit all Euren kummer stillen;
durch weinen für und für/ könt Ihr/ Ich Euch bericht /
mein abgelebten Leib vom tod' erwecken nicht.
Und wieviel solcher jetzt mit Erde wird bedeckt /
so sol Er/ weiß Ich doch/ dort werden auferwecket
am längst-gewünschten Tag/ da wir dann allzumahl
uns werden wiedersehn ins Himmels Freuden saal.
Nun kehrt' Ich mich zu Gott/ ade mein Herz/ und Brüder!
Ade ihr Freunde nun/ dort sehen wir uns wieder!
Ade du zarter Zweg aus Mir herfür gesproßt!
der du mein Leben mich in dieser Welt gekößt.

DAVID PONTANUS
Namslá Siles,

